

1. Breithaupt / Joach. Justi / Schedius.
ma de adoptionis Spiritu, Hald
1730.
2. Chryander / Wilh. Christ. Justi /
Diss. de fundamento Exaltationis
Christi hominis majestaticae part
mercenario, Rintely 1762.
3. _____ programma, de Abstrac-
tione Christiana, Rintely 1761.
4. _____ Diss. de Conubio Josephi ac
Mariæ vero, Helmstadt, 1743.
5. _____ Diss. de Representatione Actio-
nis, Helmstadt 1746.

16
DISSERTATIO THEOLOGICO-EXEGETICA
AD GENES. III, 13.

DE
POENITENTIA
CAINI:

QVAM
SVB AVSPICHS DIVINIS
RECTORE ACADEMIAE
MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. FRIDERICO II.
HASSIAE LANDGRAVIO PRINCIPE HERSFELDIAE
COMITE CATIMELIBOCI DECIAE ZIEGEN-
HAINAE NIDDAE SCHAVENBURGI
HANOVIAE, RELIQA.

PRAESIDE
IOANNE IACOBO PLITT

SS. TH. D. ET P. P. O.
AD D. *1767* NOVEMBR. CID IO CC LXI.
H. L. Q. C.

PVBLCO EXAMINI SVBMITTET
IOANNES DIETMARVS STOEHR

KIRCHHAINA - HASSVS.

RINTELII
LITERIS I. G. ENAX, ACADEMIAE A TYPIS.

DISERTATIO THEOLOGICA EXPERIMENTALIS
A D. CAROLO WILHELMO

POENITENTIA
CAUSAE

DE
SACRAMENTO
POENITENTIAE
A D. CAROLO WILHELMO
THEOLOGICO
P. M. D. C. C. C. C. C.

IOHANNES
D. C. C. C. C. C.



Q. D. B. V.

§. I.

Quum Hermeneutica sacra praecipiat, vt
interpres verbi diuini sine omni prae-
concepta opinione et praeiudicio antiqui-
tatis auctoritatisque veritatem quaerat;
hanc etiam legem obseruauit in iis, quas
ante aliquod tempus in librum Geneseos institui, prae-
lectionibus exegeticis. Hac autem via incedens ali-
quoties edoctus sum, quod haec illaue loci cuiusdam
interpretatio pluribus quidem exegetis placuerit, ea ta-
men maiori digna sit assensu, quae patronos nacta fue-
rit paucissimos. Vnico tantum exemplo hoc iam con-
firmare volo. Plurimi nimirum interpretes sacri in ea
sunt sententia, quod Cainus, qui sanguine fratris ma-
nus suas commaculauerat, in plenariam venerit despe-
rationem, et omni gratiae Dei recuperandae, spe excide-
rit. Hanc vt probent propositionem, verba Caini Gen. 4,
13. allegare, eaque alio modo, quam de Caino desperare,
commode explicari posse, negare solent. Quum vero
hanc

hanc interpretationem in collegio exegetico sine omni partium studio examinarem, non difficulter intelligebam, quod alia fieri possit loci huius explicatio, quae, quamuis nouitatis habeat speciem, suo tamen fundamento non sit destituta. Quia haec aliis palmam praeripere mihi quidem videbatur, ideo eam non solum in collegio proponebam, sed simul etiam auditoribus meis honoratissimis promittebam, quod sententiam meam sigillatim in publica commentatione explicare, et ab obiectionibus quibusdam vindicare vellem. Prius hoc promissum impleuissem, nisi circumstantiis quibusdam fuisset impeditus. Memor autem prouerbii, quod differtur, non aufertur, sententiam meam de sententia Caini nunc publici iuris facio; fat cito, si fat bene. Aliqua cum timiditate huic operi me accingere deberem, quia mihi non ignotum est, quod dentur viri, qui alicui statim heterodoxiae et haereseos dicam scribere soleant, si videant, eum sententiae ab omnibus fere receptae non accedere, sed cum paucis aliis communem causam facere, et ideo tale genus scripturae leue, et non satis dignum summorum quorundam theologorum personis iudicent; sed superauit tamen hanc difficultatem, quia spero fore, ut tales seueri censors libertatem sentiendi in responsione ad quaestionem mere problematicam mihi concedant, quae, saluo fidei fundamento, affirmari aut negari potest, et de qua ideo pro lubitu suo vnicique sentire licet.

§. II.

De persona Caini multa iam proferre, nostri non fert instituti ratio. Ad ea solum verba attentionem nostram

nostram dirigimus, quae huius dissertationis argumen-
tum praecipuum determinant. Legimus ea Gen. 4, 13.
sic expressa:

וַיִּבֶן כַּיִן מִזְבֵּחַ

Varias esse multumque inter se discrepantes interpre-
tum de sensu horum verborum sententias, ii non igno-
rant, qui exegesi sacram a limine tantum salutarum,
primisque, quod aiunt, labiis degustarunt. Maior eo-
rum pars in eo consentit, quod Cainus de remissione
grauissimi peccati per fratricidium commissi desperauerit,
et omnem spem, Dei gratiam recuperandi, abiecerit.
Fuerunt tamen non pauci, qui consuetam hanc
explicationem reliquerunt et alias adoptarunt. Non-
nulli putarunt, Cainum dicere voluisse, maiorem esse
iniquitatem suam, quam ut faciem attollere posset;
eum ergo nullam habuisse hilaritatem animi, quae per
vultus serenitatem capitisque erectionem se manifestare
soleat, et prae maximo animi moerore oculos corporis
ad coelum, in quo Deus habitat, eleuare noluisse. Hu-
ius explicationis patroni fuerunt b. I. HENR. MAIVS in
oeconomia iudiciorum P. I. c. 4. §. 10. b. SAL. DEYLINGVS
in obs. sacr. P. III. p. 13. et IO. CHR. ORTLOBIVS in
peculiari dissertatione de Caino non desperante, 1706
Lipsiae publicata. Hi simul statuerunt, ellipticam esse
exclamationem Caini et per vocem וַיִּבֶן suppleri de-
bere. Sed mihi quidem haec sententia magna adhuc
difficultate premi videtur. Quamuis enim negari ne-
queat, quod verbum וַיִּבֶן cum voce וַיִּבֶן constructum
significet faciem attollere, non facile tamen probari
poterit, quod, si solum ponatur, idem indicet. In
sexto

sexto quidem huius capituli commate *וַיִּשְׁפֹּט* legitur, sed id tamen ad versum decimum tertium referri nequit. In hoc enim de alia re sermo est, quam in illo. Ellipsis quoque hic locum habere non potest, utpote quae sine summa necessitate non debet in subsidium vocari.

§. III.

Alii haec verba interrogatiue explicauerunt, et sequenti modo eorum sensum expresserunt: Ergone maius est delictum meum, quam ut remittatur? Haec est sententia celeberrimi quondam Argentinensis Theologi b. SEB. SCHMIDII in annotationibus super Genesim p. 59. Ei quoque accessit CAROLVS LE CENE in noua Bibliorum versione Gallica p. 3. ubi verba Caini ita expressit: Ma perfidie est elle si grande, que je n'en puisse obtenir la grace? et in Sciagraphia novae Bibliorum versionis Gallicae hanc versionem sequenti modo illustravit ac vindicauit: „Cette version n'a rien qui soit contraire à la signification des termes de l'original, et elle repondroit exactement à la reponse que Dieu lui fit, et qu'il accompagna même d'un prodige pour l'assurer de sa protection.„ Sed quia consuetum interrogationis signum in textu originali non exstat, valde dubito, an haec sententia cum veritate conciliari queat?

§. IIII.

Alii hanc difficultatem cognouerunt, et ideo per *וַיִּשְׁפֹּט* non ipsum peccatum, sed eius poenam intellexerunt, et verbis Caini hunc attribuerunt sensum: Poena peccati mei maior est, quam ut eam portare possim. Inter veteres huic sententiae fauerunt ABEN ESRA, OLE-
ASTER,

ASTER, DRVSIVS, AMAMA, CALOVIVS & RIVETVS, ex recentioribus DANZIVS, ZELTNERVS & IO. CHR. GENSELIVS, qui in obseruationum sacrarum pag. I. seqq. multis argumentis eandem confirmare voluit. Multos etiam fautores haec sententia naeta est inter Anglos. Etenim non solum in versione Bibliorum Anglica Caini querela sic reddita est: My punishment is greater, than y can bear; sed etiam auctores of Annotations upon all the Books of the old and new testament ad versum XIII. huius capitis ita commentati sunt: „Sinne or iniquity is put for the punishment of Sinne by a Metonymie of the Efficient for the Effect; for sinne is the natural parent of punishment. In saying, his punishment is greater then he can beare, he bewrayeth the wrathfulness of his spirit, which before made him a murmurer against God and a morderer of his Brother: he could not then forbear to sinne, and now he cannot beare what is due to him for his sinne. „ Ad diiudicandam hanc explicationem notandum est, vocem *pe* nonnunquam quidem poenam peccati significare; sed hunc tamen significatum sine urgente necessitate non debere assumi, quia non est primus, natiuus et proprius. Si proprius huius vocis significatus cum nexu et sine, aliisque huius loci circumstantiis, non posset consistere, alia res esset. Posito autem, sed non concessio, vocem istam hic praecipue significare poenam peccati, non tamen aliquis ire posset inficias, quod Cainus simul etiam ipsam peccati commissi magnitudinem et turpitudinem fuerit confessus. Etenim poena et peccatum sunt conceptus, vt vocantur in logicis, correlati, i. e. quo-

quorum vnus sine altero intelligi nequit. Poena scilicet est malum physicum personae ob malum morale illatum, s. malum passionis, quod infligitur propter malum actionis. Qui ergo confitetur, se poenam meruisse, eo ipso quoque se peccati commissi accusat, cum quo poena est connexa.

§. V.

Licet explicationes verborum Caini §§. 2-4 consideratae non omni careant probabilitatis specie, nullam tamen ex iis assumere possum, si recordor regulae hermeneuticae, quae vult, vt proprius terminorum significatus retineri debeat, donec absurdus inde emergeret sensus. Hinc etiam proprios significatus eorum, in quibus cardo litis vertitur, terminorum *ferre* et *portare* alii praefero. Verbum autem illud proprie significare *ferre, portare*, et vocem hanc *iniquitatem, peccatum*, non solum lexica, sed etiam S. Scripturae loca nos edocent clarissima, cf. Gen. 13, 6. Exod. 20, 5. 28, 12. Ier. 14, 7. Ez. 39, 26. Ergo exclamationem Caini sic interpretor: Maius est peccatum meum, quam vt ferrem s. ferre possem. Phrasia *ferre, portare* peccatum saepe in sacris literis legitur, et non solum indicat peccatis onerari vel onerare se Lev. 22, 9. 16. Num. 18, 32. 30, 16. sed etiam peccata expiare, et pro iis satisfacere. Vsurpatur enim de sacerdotibus V. T. victimas pro peccatis aliorum offerentibus Exod. 28, 38. Lev. 10, 17. Num. 18, 1. 23., de hirco emissario peccata populi portante, Christi typo, Lev. 16, 22., vt et de ipso Christo, sacerdote summo et pontifice maximo, qui peccata omnium hominum tulit, expiavit et plenariam satisfactionem pro iis praestitit Ies. 53, 4. 12. cf. Io. 1, 29.

Schol.

Schol. Phrasis נָשָׂא interdum quidem significat, peccatum condonare, remittere cf. Exod. 34, 7. Pf. 32, 5: sed inde non sequitur, hunc sensum etiam in loco praesenti assumendum esse. Sicuti enim a posse ad esse, ita etiam a possibilitate sensus ad veritatem eius non valet consequentia. A veritate quoque dogmatica ad veritatem hermeneuticam concludi nequit. Ideo inter plures significatus et sensus possibiles is eligi debet, qui contextui est conueniens. Praeterea verbum נָשָׂא habet significatum actiuum, non passiuum, quia est in Kal, non in Niphal. Ex idiotismo quidem linguae Hebraicae actiuum nonnunquam pro passiuo ponitur, ad hoc autem medium non, nisi in casu summae necessitatis, est recurrendum.

§. VI.

His praemissis sensus verborum Caini commode sequenti modo exprimi poterit: Peccatum meum maius est, quam vt pro eo satisfacere, Deumque mihi per proprias vires reconciliare possem. Profitebatur per hanc querelam fratricida, hoc peccatum esse grauissimum, sibi que sub tanto onere succumbendum esse, si propriarum virium rationem habeat, dum per has iustitiae Dei infinitae aliquid pro reconciliatione offerre non possit. Fallaciam ergo a dicto secundum quid ad dictum simpliciter committere videntur, qui Cainum plane desperasse arbitrantur. Si quis existimat, se nullam spem habere, propriis viribus onere peccati se liberandi, Deumque sibi reconciliandi, is non omnem spem statim abiicit, gratiam Dei recuperandi. Fieri enim potest, vt, quod propria opera inuenire nequit, alieno auxilio reperiat.

B

§. VII.

§. VII.

Si cum attentione verba Caini considerentur, facile patescit, quod magna tristitia propter enorme et tunc temporis inauditum crimen fuerit affectus. Quum vero tristitia ob malum commissum in genere vocetur poenitentia s. contritio, Cainus per haec verba poenitentiam et contritionem suam confessus est ac declarauit. Qua via ad hanc peruenerit, non difficile est intelligere. Tristitia enim est magnum taedium ex repraesentatione mali ortum. Peccatum autem non solum in se est malum maximum, sed etiam plura vno mala illud insequuntur, tam naturalia, ex natura peccati in se considerati conceptibilia, quam arbitraria, ab arbitrio iustissimi iudicis pendentia. Haec mala quin Cainus sibi repraesentauerit, et sic ad contritionem propter commissum fratricidium peruenerit, confessio eius nos dubitare haud permittit. Vocat enim actionem, qua pio fratri mortem intulerat, *rv*. Hoc nomen generatim deflexionem quamcunque designat, et per metaphoram, deflexionem moralem, qua homo non solum a recta via et norma legis aberrat, sed etiam contra legem perverse agit, et sic tam peccati omissionis quam commissionis reus fit. Hac ergo voce dum utebatur Cainus, internam fratricidii prauitatem perspiciebat, et cum tristitia fatebatur. Nec non agnoscebat, peccatum suum maius esse, quam vt id ferre posset, quum, si DEVS tanquam iustus iudex secundum rigorem secum agere vellet, poenas infinitas et insupportabiles luere deberet. Hoc modo facinus suum nefandum non solum vt laesionem proximi maximam, sed etiam vt laesionem ipsius Dei

Dei grauissimam considerabat, et sic manifestabat, quod ipsum facti sui maxime poeniteat.

§. VIII.

Signum est medium cognoscendi alterius rei existentiam. Hinc signum poenitentiae est id, ex quo cognosci potest, quod aliquem facti sui poeniteat, et is in mente sua magna afficiatur tristitia. Quatenus illud in animo hominis later, est signum contritionis internum; quatenus per liberas corporis mutationes indicatur, est externum. Signum ergo contritionis internum est propositum, non ulterius peccandi, et externum, confessio peccati sine simulatione facta. Duplex hoc signum quin apud eum reperiatur, qui peccatum suum pro maximo habet, et id tanquam rem pessimam depingit, dubitare non licet. Vbi vero signum est, ibi etiam esse debet res signata. Vnde liquet, Cainum magnam sensisse contritionem.

§. IX.

Ex haecenus dictis responderi potest ad problema: num Cainus poenitentiam egerit? Ut omnis euitetur logomachia, ambiguitas vocis *poenitentiae* est indicanda. Duplici significato haec vox in scholis theologorum sumitur, qui vtrique ab usu sacrae Sc. non est alienus. Graeci poenitentiam vocant *μετανοια*, quae vox ex *μετα* et *νοια* est composita, et resipiscentiam denotat, vel actum mentis, quo malum antea adprobatum et commissum improbamus atque dolemus, ac, quantum in nobis est, emendare studemus. Verbum *μετανοια* generaliter pro mutatione mentis et sententiae legitur Apoc. 9, 20. 21. 16, 9. II. et in specie pro declaratione

doloris, quem quis in animo ob offensum proximum sentiat Luc. 17, 3. 4. Hic generalis significatus assumendus quoque est Ebr. 12, 17. Erenim μετανοια, cuius locum Esauus non inueniebat, nihil aliud hic indicare potest, quam illam animi factique mutationem, qua Isaacus, quasi dolo a Iacobo circumuentus fuisset, condemnato, quem deceptus fecisset, actu benedictionis, benedictionem integram Esauo tanquam primogenito restitueret. (*) Septuaginta quoque interpretes plurima loca suppeditant, in quibus μετανοειν idem significat ac consilium mutare 1 Sam. 15, 29. Ier. 4, 28. Iol 2, 13. Amos 7, 3. 6. Haec consilii mutatio respectu peccatorum requiritur Marc. 1, 15. et Act. 20, 21. ubi terminus poenitentiae μερικός sumitur. Interdum vero etiam accipitur ολικός, et non solum contritionem ex peccatorum agnitione oram, sed etiam fidem simul includit, e. gr. Luc. 24, 47. Matth. 3, 2. Act. 3, 19. 11, 18. Si ex his locis definitio poenitentiae formaretur, esset tristitia propter peccata cum vera in Christum fide coniuncta. Priori significato Cainum poenitentiam egisse, extra omnem dubitationis aleam positum esse censemus; posteriori autem eam quoque egisse, probari nequit, quamuis possibilitas eius non sit in dubium vocanda.

§. X.

Terror ex consideratione mali magni insuperabilis certo subeundi est desperatio. Hanc nonnulli quidem ad

(*) Hanc explicationem pluribus proposuit, probauit atque defendit b. IO. MICH. LORENZ. in singulari dissertatione: de poenitentia frustra ab Esauo quaesita; quae 1735 Argentorati habita est.

ad contritionem ob peccata in genere requisierunt, sed *ἀνυπὸς*, et sine fundamento S. Scripturae. Quamvis enim hominem contritum desperare oporteat, si sui ipsius tantum habeat rationem; potest tamen scire, Deum non velle mortem peccatoris, sed pro misericordia sua infinita redemptorem generi humano dedisse, qui perfectissimam pro omnibus peccatis praestiterit satisfactionem, qua per fidem apprehensa, peccator remissionem peccatorum consequi, et haeres aeternae beatitudinis fieri debeat. Quum ergo mala cum peccato conjuncta hoc modo declinari possint, non sunt insuperabilia et inevitabilia, et desperatio non necessaria est ad veram contritionem. Quamvis ergo contritio Caini fuerit maxima, inde tamen non sequitur, eum desperasse de gratia Dei recuperanda. Agnoscebat quidem, se maximas meruisse poenas, sed non ignorabat quoque, Deum misericordia praeditum esse infinita. Sciebat quidem, quod Deus mortem peccatori fuerit comminatus, sed ei non ignotum quoque esse poterat protevangeliū, quo Deus lugentes parentes suos refocillaverat. Nullum est dubium, quin Adamus hac promissione in statum gratiae restitutus, et illam insequentī frequentiori cum Deo commercio in eodem confirmatus, liberos suos diligenter in veritatibus religionis reuelatae instituerit, laetumque illud argumentum quavis occasione iis inculcauerit. Bene hac de re scripsit ESTIVS in annot. in praecipua ac difficiliora S. Sc. loca p. 13. ad Gen. 4, 13: „Et poterat Cain scire, peccatum suum esse remissibile, et non esse sibi desperandum,

dum, quandoquidem sciebat, et patrem suum gravissime peccasse, nec tamen illum desperasse. „

§. XI.

Cainum non desperasse, ex signo etiam patescere videtur, quod Deus eius gratia fecit, uti Moses refert v. 15. Quum enim hic fraticida timeret, ne forsitan quisquis ipsum offenderit manus etiam violentas sibi illaturus sit, dixit Iehovah: Quisquis occiderit Cainum, septuplicem vindictam experietur; et signo quodam eum fecit conspicuum. Multi quidem interpretes signum in Caino constitutum magis pro nota infamiae, quam pro indicio gratiae habuerunt; sed hi precariam assumerunt hypothesin, quod signum hoc stigma quoddam fuerit fronti inustum, et character horrendus visibilis aspectuque terribilis. Alii, quamvis huic sententiae non accesserint, varias tamen multumque discrepantes proposuerunt huius signi explicationes a veritate longe remotas. Mihi explicatio, quam b. ROM. TELLERVS in dissertat. de iuris aggratiandi diuini signo in Caino proposuit, omnibus aliis palmam praeripere videtur. Hic enim per *נֶחֱמֵת* non figuram quandam in oculos incurrentem seu portentum quoddam singulare intelligit, sed ipsam potius Caino promissam vitae securitatem; rationemque denominationis in eo quaerit, quod haec promissio signum supremae Dei maiestatis et iuris aggratiandi diuini fuerit. Hinc phrasin: Posuit Iehovah signum Caino; sic *παράθεσις*: confirmavit ei promissione certissima, se cauturum esse, ne quis eum impune interficeret. Eandem sententiam suo iam tempore amplexus est cel. 10.

BVX-

BVXTORFIVS in catal. phil. theol. Tmem. 15, manda-
 tum diuinum de Caino non occidendo signum adpel-
 lari, existimans. Si etiam definitionem signi cum hac
 definitione comparauerimus, non incongrue eam si-
 gnum vocari posse, apparet. Signum enim est me-
 dium cognoscendae alterius existentiae, et finis signi est
 signatum. Quum vero Deus vitam Caino conseruare
 vellet, voluntatem suam per hanc promissionem ei in-
 dicabat. Ergo haec promissio erat medium cogno-
 scendi voluntatem DEI respectu Caini; ergo erat si-
 gnum, et quidem tale signum, ex quo simul perspici-
 tur, Cainum non desperasse. Quodsi enim desperasset,
 Deus in eo signum extraordinarium non potuisset con-
 struere. Quia Deus est ens sapientissimum, nihil facit
 frustra, sed optima media eligit ad optimum finem.
 Per beneficia homines ad veram ac non fucatam ducere
 vult poenitentiam. Si autem Cainus antea iam despe-
 rasset, quam hoc signum ei datum fuisset, poenitentia
 eius fuisset impossibilis, signumque hoc frustraneum;
 Deus autem nihil facit frustra. Ergo non desperauerat
 Cainus de gratia Dei, sed habebat contritionem in
 corde, quae non solum ad maiorem gradum euehi,
 sed etiam salutaris fieri poterat. Iterum accedo sen-
 tentiae **b. TELLERI** in allegata dissertatione scribentis:
 „ Haec ergo promissio erat documentum euidentis si-
 gnumque Caino datum hoc consilio, vt inde Deum ipse
 agnosceret summum imperantem vitaeque humanae
 praesidem, iam rectum quidem ab omni detrimento
 integrum incolumemque ipsum conseruare volentem,
 postea

postea tamen, nisi Cain ad bonam se reciperet frugem, futurum sanguinis profusi vindicem. „

§. XII.

Ex hactenus pertractatis non difficulter intelligi posse arbitramur, quod Cainus de salute sua non desperauerit, et quid de poenitentia eius statuendum sit. Quia tamen contra sententiam nostram obiectiones quaedam formari possunt, quae non omni veri specie destituuntur, eas nunc breuiter examinare, simulque sufficientes responsiones adiungere volumus. Si quis primo opponeret, quod nostra explicatio noua, ideoque reiicienda sit, tam antecedens, quam consequentiam negaremus. Nostra verborum Caini expositio non est plane noua. Etenim plures iam fuerunt, qui consuetam eorum explicationem non adprobarunt, et Cainum a desperatione liberauerunt. cf. §§. 2-4. (*) Nullus tamen est, cui propius accedimus, quam magnus quondam Hamburgensium Theologus, vir etiam post

(*) Quum, postquam has schedulas ad prelum iam paraueram, copia mihi facta sit, dissertationem ORTLOBII supra allegatam videndi et perlegendi, verba §. II. sequentia ex eadem allegare, non inconsultum duco: „Attendit Deus, paternus iudex, et confessorem sceleris ingenuum et deprecatorem poenae humillimum, eumque solatio erigit, quod agnita sceleris foeditate gratia sua minime exciderit, qui et imposterum futurus esset Deus ipsius protector et conseruator gratiosus. Imo, ne vllam de gratia diuina desperandi occasionem nancisceretur, gratiam signo obsignat, et gratiosum suae clementiae signum nostro confessori supplici exhibet. „

post fata celeberrimus b. IO. LVD. SCHLOSSERVVS, qui in
fermonibus sacris de inaequali Caini et Abelis reli-
gione habitis pag. 258. dixit: „Lasset uns dann die
Worte nur bloß annehmen, wie sie im Grunde lie-
gen: Meine Sünde ist größer, als daß sie zu tragen
waere, oder daß ich sie tragen koente. Damit gesehet
dann endlich Cain seine Sünde, sein begangenes Un-
recht und Gottlosigkeit, nachdem er inne wird, daß
es alles bloß und entdeckt vor Gottes Augen sey und
kein lügen noch Widerspruch helfen wolle. Er räu-
met ein, daß seine Schuld groß sey, da er vorher
meynte, das sey genug, sein Bruder sey ihm nicht zu
hüten befohlen. Er merket den Ernst Gottes in seinem
Straf-urteil, womit ihm die Größe seiner Sünde em-
pfindlich genug bezeuget war. Das veranlasset ihn zu
bekennen, daß diese Last seinen Kraefften zu schwer
sey, er werde die Sünde nicht tragen koennen, wie sie
nemlich in ihren schweren Folgen der Schuld und Strafe
ihm nun zur Last würde. Kurtz, er führet eine Spra-
che der Bußfertigen, wenn sie in der Empfindung des
Zorns Gottes klagen, unsere Missethat drücket uns
hart: die Sünden gehen über unser Haupt, und, wie
eine schwere Last sind sie mir zu schwer worden. „ Ex
collatione nostrae sententiae cum his verbis palam fit,
quod non pro noua haberi possit. Ponamus autem,
nostram explicationem esse plane nouam, inde tamen
non possit concludi, quod etiam falsa sit. In regno
eruditorum non datur praescriptio. Errant, qui ad
eam prouocant, si veteres opiniones defendere volunt.

C

Si

Si nouae doctrinae probari sufficienter possunt, eas as-
sumere debemus, quamuis veteribus sint contrariae.

§. XIII.

Si quis porro ex silentio S. Scripturae contra nostram sententiam concludere veller, quia haec poenitentiae Caini nullam faciat mentionem, responderemus primo, in iis verbis, quae haecenus explicauimus, poenitentiam Caini latiori significatu esse contentam; secundo, a silentio sacrae Scripturae ad negationem rei non semper valere consequentiam. Magnam certe exceptionem admittit regula *Tertulliani*: Negat scriptura, quod non notat. De silentio necessario ea quidem valet, sed non de voluntario. Interdum adhiberi potest, non autem semper. Alias enim existimare deberemus, paedobaptismum esse illicitum et superfluum, quia S. Scriptura non expresse eius facit mentionem; Petrum et Paulum nunquam reconciliatos esse, quia Gal. 2, 11. sqq. quidem dissidii inter eos enati, sed non factae reconcilia- tionis relationem legimus; et Cainum nunquam mortuum esse, quia mors Caini in sacris literis non narra- tur. Quod ad haec respondes, tibi responsum esto, qui nostram impugnas sententiam. Non negat Scriptura quae silentio praeterit, si id, quod non expresse indi- catur verbis, per bonam ac legitimam consequentiam, vel ex narratione, vel ex verbis ab alio prolatis, con- cludi possit, aut ad salutem non sit necessarium. Vtrum- que in exemplo praesenti locum habet.

§. XIV.

§. XIV.

Sed ii, qui Cainum desperasse arbitrantur, non solum ex silentio, verum etiam ex expressis Sac. Scr. testimoniis contra nos argumentari volunt. Etenim I Ioan. 3, 12. legitur, quod Cainus ex malo et opera eius mala fuerint, et Iud. v. 11. quod in via ambulauerit ad infelicitatem ducente, quia iis *το ουαι* acclamatum fit, qui in eandem ingressi sint. Si autem sine partium studio haec loca confiderentur, statim patefcet, quod in iis respiciatur ad totum complexum illarum actionum, quae fratricidium a Caino commissum praegressae et comitatae fuerunt. In priori enim loco S. Ioannes Christianos ad fraternum adhortari volebat amore, idque non solum directe ac immediate faciebat v. 11; sed etiam indirecte et mediate per adductionem contrarii v. 12. a Caino desumpti, qui tunc, quum innocentem fratrem occideret, ex maligno erat, et non nisi mala Deoque maxime displicentia suscipiebat opera. Hic ergo locus reduplicatiue est explicandus de Caino, quatenus spectatur vt fraticida, non autem de toto eius statu morali. (*) Simili fere modo dehortatur Apосто-

(*) Eandem fouet sententiam Praestantissimus Exegeta SEB. SCHMIDIVS in commentario in I Ioannis Epistolam pag. 337. sic ad explicandum h. l. scribens: Non probandum mihi apud vos est prolixè, quod non debeamus esse similes Caino, qui ex malo fuit. Largientur enim hoc etiam mihi Iudaei, quod abominabilis fraticida fuerit. Praesupposito itaque hoc, quod non debeamus esse ex malo s. diabolo, sicut Cainus fuit: videamus de causa

Apostolus Ebr. 12, 16., ne quis sit profanus velut Esau, de quo tamen Gen. 33, 4. refertur, quod cum fratre se reconciliauerit. Priori ergo loco respicitur ad singulare factum Esau, quod vnico edulio vendiderit suum ius primogeniturae. Ita etiam in nostro loco opera Caini mala vocantur, quatenus fratrem occidit; quid autem postea egerit, qualisque fuerit status eius moralis, hic non determinatur. Verba Apostoli Iudae quod concernit, diuinus hic legatus admonere volebat Christianos, vt in iusta fidei constantes sint, sibi que a seducto-ribus caueant. Hos autem vt eo melius ac facilius cog- noscere possent, describebat eos tam propriis verbis, quam comparationibus cum personis quibusdam, qua- rum singularia vitia in Veteri Testamento sunt commemo- rata. Ad has etiam referebat Cainum, qui tristissi- mum exemplum odii erga proximum exhibet, et cuius similes hoc respectu sunt seductores animarum, aeter- nam mortem iis inferentes.

§. XV.

Ipse contextus, in quo verba Caini leguntur, argu- mentum quoq; iis suppeditare videtur, qui consuetam in- terpretationem de desperatione Caini relinquere nolunt.

Sal-

homicidii. Vnde factus est homicida tam abominabi- lis? Certe ex odio fratris et inuidia erga eum, omni ne- glecto eius debito et iusto amore. Nam cum opera Caini essent mala, fratris autem eius iusta, inuidia peperit odium erga fratrem acerbissimum, pro eo, quod eum tanquam virum iustum diligere debuisset, atque sic ex odio istoc adactus est ad impiissimum fratricidii facinus.

Saltem ad illum prouocare solent. In verbis nimirum proxime antecedentibus narratur, Deum Caino omnem maledictionem imprecatum esse; et in verbis proxime subsequenter refertur, Cainum dixisse, quod se abscondere debeat a facie Dei. Sed respondemus, comminationem Dei v. 11. 12. non inuoluissè præcipue maledictionem æternam, sed imprimis terrestrem, per cuius annunciationem commoueri debebat. Et hic finis etiam ex parte obtinebatur, quia Cainus statim magnitudinem et gravitatem peccati sui confitebatur. Quamuis postea etiam vagus profugusque fuerit, inde tamen non sequitur, eum semper extra statum gratiae vixisse. Nervose b. LUTHERVS de Caino scripsit: Es wurde ihm das Tisch-Recht in der Kirche genommen; aber so er wolte, konte er doch mit den Hunden die Brosamen auflesen. cf. Ej. post. expl. Gen. p. 438. Verba in versu 14. contenta loquebatur Cainus, antequam de aggratione diuina per signum extraordinarium factus esset eertior, iisque indicare volebat, se in posterum indignum esse, vt ibi compareat, vbi Deus præsentiam suam et perfectiones infinitas modo singulari manifestare, piisque solatium præbere solet. Haec autem confessio iterum indicium erat magnæ contritionis, quam ob commissum fratricidium in corde sentiebat. Statim etiam ab ipso Deo audiebat, quod ipsum non veller plane repudiare, quia signum extraordinarium adiungebat. Exinde ergo non magis concludi potest, quod Cainus desperauerit, quam ex somniis Rabbiorum, Cainum fratre occiso maximis sceleribus, Atheismo, Idololatriæ, latrocinii, crudelitati omnibusque vitio-

vitiorum generibus operam dedisse, et a vera religione semper fuisse remotum. Harum autem rerum in sacris literis nec vola exstat nec vestigium.

§. XVI.

Denique obiici possët, nostram sententiam esse periculosam, quia secundum hanc maximi peccatores sibi persuadere possent, non omnem spem salutis sibi esse ademtam, quamdiu in terra viuerent, sed possibile esse, vt gratiam Dei recuperarent, si viam salutis ingrederentur. Sed respondemus, hoc idem esse quod sacra Scriptura doceat. Haec enim nos certiores reddit, quod Deus velit omnes homines seruari, et ad cognitionem veritatis venire 1 Tim. 2, 4. Dicitur quoque Rom. 5, 20: *ου επλεονασεν η αμαρτια, υπερεπερισσευσεν η χαρις.* Ergo etiam in se possibilis fuit Caini fratricidae poenitentia, fides et salus. Quod autem re ipsa quoque aeternam beatitatem consecutus fuerit, asserere non audemus, sed eum misericordiae summi iudicis relinquimus. Archiepiscopus quidam Toletanus in facello suo coelum et infernum ex aduerso depingi curabat, et in medio imaginem Salomonis, ignorans, num in coelo vel in inferno ei sedem assignare debeat? Hunc virum ingenio suo deceptum esse, nemo negabit, qui firmissima Sac. Script. testimonia de poenitentia, fide atque vltimis Salomonis actionibus ponderauit. Si vero quis Cainum eodem modo repraesentare vellet, ei nos saltem non repugnaremus.

* * *

PRAE-



PRAENOBILISSIMO ORNATISSIMOQVE

RESPONDENTI

S. D. P.

PRAESES.

Quum disputationes academicae magnam habeant utilitatem, mihi semper quidem gratum est, si Auditores mei honoratissimi ansam mihi praebeant, etiam hac in parte, munere clementissime demandato perfungendi; impraesentiarum autem id mihi esse longe gratissimum, lubentissime profiteor. Quia enim SERENISSIMVS NOSTER LANDGRAVIVS, academiae suae NVTRITOR CLEMENTISSIMVS eiusdemque RECTOR MAGNIFICENTISSIMVS Senatui academico non solum declaravit, sibi semper salutem huius Vniuersitatis curae cordique esse, sed se habere quoque in votis, ut diligenter disputationes publicae haberentur, huncque in finem sumtus ad imprimendas duas plagulas ducentorum exemplarium ex propriis redditibus suppeditare velle; magno mihi cedit gaudio, quod Tu, aestumatissime Respondens, occasionem mihi dare volueris, publice iam disputandi. Hanc autem sine publica significatione mei erga Te amoris, non possum praetermittere. Non quidem Tui causa eundem hac vice testari volo, quum de eo iam dudum sis conuictus; sed, dum de Te ad Te haec scribo, aliorum potius rationem habeo, praesertim eorum, qui multum ad felicitatem Tuam promouendam conferre poterunt. Horum enim interest, ut sciant, quomodo vitae Tuae rationem

nem apud nos institueris, ac mores Tuos composueris, quidque ideo abs Te expectare possint. Vellem sane, ut semper essent Tui similes, qui testimonium studiorum ac morum sibi expetunt ad patrios lares reuersuri. Ex quo enim tempore in alma hac Mis-
 sarum sede fuisti, cum diligentia probos ac modestos mores nun-
 quam non coniunxisti. Praelectionibus meis, in quibus omnes
 Metaphysicae partes explicavi, praecepta Hermeneuticae
 sacrae exposui, et Epistolam S. Pauli ad Philipenses ob-
 servationibus exegeticis illustravi, Theologiam moralem
 docui, controversias theologicas pertractavi, et Deistarum
 argumenta, quibus veritates religionis Christianae impugnant,
 refutavi, assidue interfuisti. Eodem discendi ardore iam
 quoque audis institutiones meas pastorales practicas. Te
 autem haec collegia non sine magno lucro frequentasse,
 tam in examinibus promte respondendo, quam nonnunquam
 pro reſtris sacris verba faciendo, ostendisti. Haec si me-
 cum reputo, non dubito, quin patriae reditus spem de
 Te conceptam feliciter impleturus, et utilitibus gregis,
 qui Tuae curae aliquando commendabitur, fideliter inui-
 gilaturus sis. Quod reliquum est, bona a Patre coelesti in
 Te collata ex animo Tibi gratulor, eiusque providentiae ac
 paternae curae Te commendo, cum adiuncta admonitione, ut
 et in posterum orationem, meditationem et tentationem semper
 coniungere velis. Vale ac me amare perge. Dabam Rintelii
 in Acad. Ernestina Iſſis B. Lutheri natalitiis MDCCXXI.





01 A 6542

ULB Halle
003 090 40X
ULB Sachsen-Anhalt
Abgeschliffen
Datum: 2009

Vb17 H183







DISSERTATIO THEOLOGICO-EXEGETICA
AD GENES. IIII, 13.

DE
POENITENTIA
CAINI:

QVAM
SVB AVSPICHS DIVINIS
RECTORE ACADEMIAE
MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. FRIDERICO II.
HASSIAE LANDGRAVIO PRINCIPE HERSFELDIAE
COMITE CATIMELIBOCI DECIAE ZIEGEN-
HAINAE NIDDAE SCHAVENBVRGI
HANOVIAE, RELIQA.

PRAESIDE
IOANNE IACOBO PLITT

SS. TH. D. ET P. P. O.

AD D. *xxv*. NOVEMBR. CID ID CC LXI.

H. L. Q. C.

PVBLCO EXAMINI SVBMITTET
IOANNES DIETMARVS STOEHR

KIRCHHAINA - HASSVS.

RINTELII

LITERIS I. G. ENAX, ACADEMIAE A TYPIS.

16

2-16

